

DE CURATORIS PROCESSUALIS DESIGNATIONE PRO MENTE INFIRMIS

SUMMARIUM: Praemissa brevi consideratione de promiscuo usu verborum «tutor» et «curator» in iure canonico (I), disseritur de munere curatoris processualis, qui in iudicio partem in causa repraesentat (II). Peculiares dein quaestiones enodantur, quae ad personas respiciunt, quibus in processu canonico curator dari debet, hoc est rationis usu destitutis, minus firmæ mentis et bonis interdictis (III). Disceptatio demum quaestiones practicas complectitur, quae ad constitutionem (IV) et revocationem curatoris processualis (V) spectant.

I. De promiscuo usu verborum tutor et curator in iure canonico

Ius canonicum, similiter ac illud antiquum romanum¹, de instituto curatelaе non habet compositam ordinationem iuridicam, omnibus casibus applicandam, in quibus de cura agendum est, etsi Codex Iuris Canonici curatelaе mentionem facit, sicut et tutelaе, ut puta cum statuit de persona physica legitime tradita in curatelaм alterius «alia ratione quam minoritate» (can. 105 § 2; can. 915 § 2 CCEO), videlicet ob defectum habitualem usus rationis (can. 99; 909 § 3 CCEO)², vel de ratione curatelaе, ex qua pendet obligatio abstentionis seu abstinenciae in cognoscenda

¹ G.G. ARCHI, *Curatela (dir. rom.)*, in *Enciclopedia del Diritto*, XI (Milano, 1962), 489.

² «Una ratio potest esse amentia de qua agebat CIC 1917» — F.J. URRUTIA, *De normis generalibus. Adnotationes in Codicem: Liber I*, Romae 1983, 66.

causa tum ex parte iudicis (can. 1448 § 1; can. 1106 § 1 CCEO), tum ex parte promotoris iustitiae, defensoris vinculi, assessoris et auditoris (can. 1448 § 2; can. 1106 § 2 CCEO). Codex enim singulariter loquitur potius de munere curatoris quam de curatela, potissimum vero cum de effectibus iuridicis ab iis assequendis cavet, qui capacitate iuridica agendi carent, ut puta in acquirendo domicilio vel quasidomicilio (can. 105 § 2), aut capacitatem processualem seu personam standi in iudicio non habent (cann. 1478 §§ 1-4; 1479; 1508; 1519 §§ 1-2; 1521; cann. 1136 §§ 1-4; 1137; 1200 §§ 1-2; 1202 CCEO).

Re quidem vera non secus ac systema romanum iustinianum, quod claram notaverat appropinquationem inter curatela[m] et tutelam³, apud ius civile mediae aetatis adhuc perdurantem⁴, in vetere iure canonico curator et tutor sub adspectu substantiali etiam promiscue considerabantur, haud obstante quadam

³ G. PUGLIESE, *Istituzioni di diritto romano*, Torino, 1991³, 834.

Notandum est in periodo iustinianea curam furiosi et prodigi ceterasque peculiare curationes aetatis classicae factas esse tantum marginales coram cura minorum, quae confusa est cum tutela. Cfr. G.G. ARCHI, *Curatela (dir. rom.)*, 494.

Alia ex parte quidam stabilis usus advertitur «curae furiosi» inde a lege decemvirali (XII Tab. 5, 7a), ex quo curator substituebat furiosum actorem vel conventum in processu legisactionum, per formulas et in extraordinaria cognitione. Cfr. ad rem G. PUGLIESE, *Istituzioni*, 66, 283, 772; S. SOLAZZI - F. SITZIA, *Tutela e cura (dir. rom.)*, in *Novissimo Digesto Italiano*, XIX (Torino, 1973), 918.

⁴ A. MARONGIU, *Curatela (dir. interm.)*, in *Enciclopedia del Diritto*, XI (Milano, 1962), 495-497; M.E. VIORA, *Tutela e curatela (dir. interm.)*, in *Novissimo Digesto Italiano*, XIX (Torino, 1973), 919-924.

formali distinctione⁵ inter haec munera exstante. Ita enim epistula decretali «Si annum» pro minoribus statutum est minorem infra quartum decimum annum in iudicio per seipsum agere aut se defendere non posse, sed tantum per «curatorem ad lites» ab episcopo suo vel ab officiali constitutum (c. 3, II, 1, in VI^o), etiamsi vestigiis iuris romani quis innixus tali in casu expectaret potius constitutionem tutoris saltem pro impubere mare⁶.

Attamen aequiparatio inter curatellam et tutelam, inter minores et mente infirmos, etiam canonistas, simili modo ac legistas, ad idem medium providendum duxit iuxta illud principium: «de similibus idem iudicium est habendum» (c. 2, X, I, 7), hoc est ad constitutionem curatoris, sicut de cetero pro iis qui rationis usu carebant⁷. Inde modus permiscuus utendi verbis curator et tutor perstitit.

Alia tamen ex parte «de infantibus, furiosis et amentibus» doctrina tenuit ut ipsis darentur tutores vel curatores qui id munus ipsorum loco explerent. Isti enim non solum ex dispositione iuris iustiniani in foro canonico recepta per seipsos in iudicio stare non poterant tamquam actores vel rei, sed potissimum quia talis dispositio iam id temporis «ad ius etiam naturale» referri solebat⁸.

⁵ Cfr. P.A. D'AVACK, *Curatela (dir. can.)*, in *Enciclopedia del Diritto*, XI (Milano, 1962), 505.

⁶ Tali in casu agebatur de tutore pupilli - cfr. M. TALAMANCA, *Istituzioni di diritto romano*, Milano, 1990, 345.

⁷ Cfr. D. STAFFA, *De constitutione curatoris pro mente infirmis in iure canonico*, in *Apollinaris*, 16 (1943) 69.

⁸ D. BOUIX, *Tractatus de Iudiciis Ecclesiasticis*, vol. I, Parisiis, 1883³, 168; cfr. M. LEGA, *Praelectiones in textum Iuris Canonici. De Iudiciis Ecclesiasticis*, vol. I, Romae, 1905², 79.

Quamvis Compileribus Codicis Pio-Benedictini⁹ notiones tutelae et curatelae apud modernas leges civiles tunc vigentes ignotae non fuerint, quae, ut notum est, a iure romano iustiniano necnon ab illo communi iam differebant sive quoad necessitatem processus interdictionis¹⁰ vel inhabilitationis¹¹, sive quoad distinctionem inter tutelam et curatelam pro diversa mentis morbi gravitate, nempe inter tutorem pro interdicto ob habitualementis infirmitatem atque curatorem pro declarato inhabili seu «inhabilitato»¹² propter minoris gravitatis mentis

⁹ Cfr. F. ROBERTI, *Codicis Iuris Canonici Schemata, Lib. IV De Processibus, I, De Iudiciis in genere*, In Civitate Vaticana, 1940, 134-135.

¹⁰ Ita ex. gr. Cod. Civ. Gall. art. 489: «Le majeur qui est dans un état habituel d'imbecillité, de démence ou de fureur, doit être interdit même, lorsque cet état présente des intervalles lucides». Item Cod. Civ. Ital. an. 1865, art. 324. Cfr. etiam Cod. Civ. Ital. an. 1942, art. 414.

Cfr. etiam Cod. Civ. Hispan. art. 214; Lusit. art. 314; Holland. art. 487; Mexic. art. 403.

Notandum est interdictionem (l'interdiction judiciaire) in Codice Gallico mutata esse in tutelam maiorem (la tutelle des majeurs) per Legem d. 5 ianuarii 1968 (Loi n. 68-5), et interdictum (l'interdit) in «le majeur en tutelle». De tutela maiorem ob perturbationem facultatum mentalium ex causa morbi vel infirmitatis — cfr. Cod. Civ. Gall. art. 492.

Item ex Cod. Civ. Hispan. interdictio civilis (interdicción civil) disparuit, nempe vi Legis: «ley 8/1984 de 31 marzo» cum modificatione articulo- rum circa tutelam et curatelam. Cfr. «de la tutela» artt. 200; 267; «de la curatela» artt. 289; 287.

¹¹ Ita ex. gr. Cod. Civ. Gall. art. 513; Cod. Civ. Ital. an. 1865 art. 339; Cod. Civ. Ital. an. 1942 art. 415.

Sed memorata superius Lege n. 68-5 d. 5 ianuarii 1968 locutio «le conseil judiciaire» mutata est in «de la curatelle et du majeur en curatelle». De curatela maiorem cfr. Cod. Civ. Gall. art. 508 ss.

¹² Ita G. MICHIELS, *Principia generalia de personis in Ecclesia*, Parisiis-Tornaci-Roma, 1955², 53.

insanitatem¹³, in memorato tamen Codice nomine curatoris designabatur tum ille qui iuxta leges civiles tutoris munere fungebatur, tum ille qui munus curatoris tantum adimplebat (cann. 1648, §§ 1; 2; 1650; 1651, §§ 1-2)¹⁴. Immo, reiecta propositione introducendi processum specialem de interdictione personarum¹⁵, Codex Pio-Benedictinus una ex parte supposebat pro mente infirmis ordinarie dari curatorem ab auctoritate civili (can. 1651 § 1), altera vero ex parte ob variam loquendi rationem in vigentibus legislationibus civilibus exstantem, «indiscriminatim»¹⁶ quoque tutorem vel curatorem appellabat repraesentantem personam absolute vel relative incapacem standi in iudicio (cann. 1648 §§ 1-3; 1650; 165 § 1; item cann. 163 §§ 1-3; 165; 166 § 1 de Iud. pro Eccl. Orient). In genere tamen tutor pro minoribus (cann. 89; 1224, n. 1; 1456; 1648 §§ 1-3; 1757 § 3, n. 1), curator autem pro maioribus mentis infirmitate affectis inibi providebatur (can. 1650)¹⁷.

¹³ Cfr. D. STAFFA, *De constitutione curatoris*, 67.

¹⁴ *Ibid.*, 67. Iamvero distinctio inter tutelam et curatelam «pro diversis insanorum speciebus recens est, a iure civili inducta et Codici I.C. ignota» - *ibid.*, 71, nt. 56.

¹⁵ F. ROBERTI, *Codicis Iuris Canonici Schemata*, 136 (ad Schema D can. 127): «Quaeritur an requiratur sententia interdictionis: O[ietti] censet difficile statui posse specialem processum interdictionis, ideo proponit *ii quos iudex prodigos aut interdichendos iudicaverit*; M[any] adhibendas censet physicas inspectiones peritorum; M[artini] specialem processum statuendum autumat sub tit. *De interdictione personarum*; D[e] L[ay] praeferit canonem generalem; quam opinionem omnes denique probant».

¹⁶ F. ROBERTI, *De Processibus*, vol. I, In Civitate Vaticana, 1956⁴, 516.

¹⁷ Cfr. G.J., *Guardians of the Mental Ill in Ecclesiastical Trials*, Washington, 1956, 30; AE. DEL CORPO, *De curatore pro mente infirmis in causis matrimonialibus*, Napoli, 1970, 18.

Etiam Codex Iuris Canonici nunc vigens hanc materiam ad ius civile pertinentem considerat, potissimum vero quod spectat ad constitutionem tutoris pro minoribus (can. 98 § 2; can. 910 § 2 CCEO)¹⁸, immo et curatoris sive pro rationis usu destitutis (can. 1478 § 1; can. 1136 § 1 CCEO), sive pro mente infirmis atque pro iis qui minus firmae mentis sunt (can. 1478 § 4; can. 1136 § 4 CCEO), perspecta sane illorum subsequenti admissione in foro canonico (can. 1479; can. 1137 CCEO).

Sed ex eadem ratione, videlicet propter remissionem huius materiae ad legislationem civilem, perstat quoque in novo Codice, sicut in illo praecedenti, promiscuus usus verborum tutor et curator, cum verbi gratia inibi statuitur quod curator, et non tutor, a iudice constitui debet pro minore usu rationis pollente ante decimum quartum aetatis annum expletum in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis (can. 1478 § 3)¹⁹.

Similiter in conflictu iurium minorum cum iuri-

Etiam in iurisprudencia rotali notabatur promiscuus usus v. tutor et curator.

Ita ex. gr. coram Manucci, sent. 10 augusti 1932, n. 3; SRRD vol. XXIV, 431: «Pacificum est inter partes, et formali constat supra relato documento nominationis, Ordinarium Pratensem, decreto diei 3 februarii a. 1932 tutorem — curatorem constituisse Callisto utpote agere non valenti in praesenti causa nullitatis sui matrimonii».

¹⁸ *Communicationes*, 21 (1989) 38 (ad can. 89): «Ad tutores quod attinet: dici debet esse tutores qui lege civili indicantur seu nominantur; revera in Codice I.C. nulla est de institutione tutorum ordinatio generalis; ast admitti potest exceptiones haberi posse, uti in Codice in can. 1648 § 3».

¹⁹ Cfr. *Communicationes*, 10 (1978) 266 (ad can. 84 § 3). At can. 1136 § CCEO adhibet iam verbum tutor: «... secus per tutorem a iudice constitutum».

bus parentum vel tutorum vel curatorum, aut quotiens hi non satis tueri possunt illorum iura, ad legis praescriptum minores stare debent in iudicio «per tutorem vel curatorem» a iudice datum (can. 1478 § 2), etiamsi pro minoribus tutor tantum constitui debeat (can. 98 § 2)²⁰, non vero «tutor vel curator».

Insuper nec hodie exstare videtur ratio adhibendi postulata in doctrina iam sub vetere Codice significationem tutoris pro repraesentante personam absolute incapacem, curatoris vero pro repraesentante personam relative incapacem²¹. Talis enim distinctio appropinquare videtur his tantum legislationibus civilibus, quae interdictionem ab inhabilitatione secernunt vel tutelam maiorem a curatela²², et constitutionem tutoris interdicto vel in tutelam tradito cavent, curatoris autem inhabilitato vel curatellae addicto provident.

II. De munere curatoris processualis

Secus ac in iure romano, ubi curator in processu partem incapacem agendi substituebat, ex. gr. furiosum vel mente infirmum²³, vel sicut in aliquibus mo-

²⁰ Can. 1136 § 2 CCEO loquitur proprie de tutoribus et curatoribus, quia non agit tantum de minoribus, sicut can. 1478 § 2 Codicis Latini, sed de iuribus «eorum», hoc est minorum et illorum, qui usu rationis destituti sunt (can. 1136 § 1 CCEO).

²¹ Cfr. F. ROBERTI, *De Processibus*, 516; AE. DEL CORPO, *De curatore*, 20.

²² Cfr. ex. gr. Cod. Civ. Gall. art. 492 (tutela); art. 508 (curatela); Cod. Civ. Hisp. art. 267 (tutela); art. 289 (curatela).

²³ Cfr. G. PUGLIESE, *Istituzioni di diritto romano*, 66, 283, 772.

Notandum est curam distinctam fuisse a tutela («vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter aetatem "vel sexum" sua sponte se defendere nequit, iure civili data ac permis-

dernis legislationibus civilibus, ubi curator assistit tantum parti relative seu partialiter incapaci, prout minori emancipato vel maiori inhabilitato²⁴ aut in curatellam tradito²⁵, in iure canonico curator partem omnimode incapacem propter mentis infirmitatem repraesentat, quacum «subiectum complexum»²⁶ constituit, simili modo ac tutor in iure civili repraesentat personam absolute incapacem, hoc est minorem non emancipatum et maiorem interdictum propter habitualementis infirmitatem²⁷, vel in tutelam traditum²⁸.

Iamvero curator processualis in iure canonico non est pars in causa, quia non agit nomine proprio pro iure proprio tuendo, nec substitutus partis haberi potest, prout aliquis contendit²⁹, quia non agit nomi-

sa» - D. 26, 1, 1, pr.), quia dirigebatur ad administrationem patrimonii; inde principium: «tutor datur personae, curator rei» (cfr. D. 26, 2, 12-14; D. 40, 1, 13).

²⁴ Ita ex. gr. art. 424 et 392 Cod. Civ. Ital. Cfr. A. TORRENTE, *Manuale di diritto privato*, Milano, 1975⁹, 86.

²⁵ Cod. Civ. Gall. art. 510: «Le majeur en curatelle ne peut sans l'assistance de son curateur...». Cod. Civ. Hisp. art. 289: «La curatela de los incapacitados tendrá por objeto la asistencia del curador para aquellos actos que expresamente imponga la sentencia que la haya establecido».

²⁶ P.A. D'AVACK, *Curatela (dir. can.)*, 508.

²⁷ Cfr. art. 414 Cod. Civ. Ital.; A. TORRENTE, *Manuale di dir. priv.*, 79.

²⁸ Cod. Civ. Gall. art. 492: «Une tutelle est ouvert quand un majeur, pour l'une des causes prévues à l'article 490, a besoin d'être représenté d'une manière continue dans les actes de la vie civile». Cod. Civ. Hisp. art. 267: «El tutor es el representante del menor o incapacitado...».

²⁹ Sed nonnumquam in doctrina talis affirmatio inveniri potest, hoc est «de substitutione totali» mente infirmi a curatore - cfr. PH., AGUIRRE, *Annotationes: II. De curatore dementis*, in *Periodica*, 32 (1943) 296.

Quin immo, etiam iurisprudentia S.T. Signaturae Apostolicae de curatore ita disceptat: «Munus ergo curatoris est *substitutue-*

ne proprio pro iure alieno, sed partis incapacis est repraesentator legalis seu necessarius, sicut doctrina et iurisprudencia merito tenent³⁰. Curator enim pro parte incapace stare in iudicio debet (can. 1478 §§ 1-4), videlicet eius nomine agere et respondere (can. 1478 § 4).

Profecto curator ex deputatione auctoritatis publicae ecclesiasticae acquirit legitimationem formalem³¹ agendi in iudicio seu ponendi actus processuales

re illum cui datus est, cum iure agendi vel obligatione respondendi pro ipso, prout casus ferat» - sent. c. Em.mo Card. SABATTANI, 17 ianuarii 1987, n. 8, in *Periodica*, 77 (1988) 335.

Utumque, nostro submisso iudicio talis affirmatio nonnisi in iure romano sustineri poterat, aliis quidem de causis, non vero in iure canonico, in cuius ambitu iurisprudencia Signaturae Apostolicae evolvitur.

Inde tale «principium», in locutione Supremi Tribunalis «obiter dicta» expressum, mutare non valet communem doctrinam processualem canonicam et rotalem iurisprudentiam de munere repraesentantis tantum, minime vero substituti, quo curator in foro canonico fungitur.

³⁰ Haec est communis doctrina canonica. Cfr. G. OLIVERO, *Le parti nel giudizio canonico*, Milano, 1941, 73-74; M. LEGA - V. BARTOCETTI, *Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, vol. I, Romae, 1950, 309; F. ROBERTI, *De Processibus*, 502; F. SALERNO, *In tema di interdizione cautelare e di rappresentanza dell'incapace per infermità di mente nel processo canonico*, in *Il Diritto Ecclesiastico*, 76 (1965) II, 205; AE. DEL CORPO, *De curatore*, 21; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore processuale*, in AA.VV., *Il processo matrimoniale canonico*, Città del Vaticano, 1988, 157-158.

Quoad iurisprudentiam cfr. c. PALAZZINI, decr. 7 octobris 1970, in Asten. (in iure et in facto); c. PINTO, sent. 12 decembris 1980, n. 3; in *Monitor Ecclesiasticus*, 107 (1982) 21; c. STANKIEWICZ, sent. 20 ianuarii 1983, n. 12; in *Monitor Ecclesiasticus*, 109 (1984) 252.

³¹ Interdum quis loquitur curatorem deputari «ad esercitare la legittimazione processuale della parte incapace» S. BERLINGÓ,

nomine et pro tuendo iure partis, quae capacitate processuali caret. Exinde effectus iudicii ipsam partem repraesentatam afficiunt, non vero curatorem, qui eam repraesentat. Pars enim in causa, etiamsi mente infirma, cui datur curator³², remanet tamen titularis iuris tum substantivi cum processualis atque relationis iuridicae processualis, non vero curator, qui defectum capacitatis processualis eiusdem partis integrat atque supplet³³, ut haec effectus iuridicos iudicii valide assequi possit.

Sunt tamen qui loquantur de repraesentatione partis absolute incapacis a tutore, et de curatoris adsi-
stentia tantum parti relative incapaci ad eius iura in iudicio exercenda³⁴.

Il processo, in E. VITALI - S. BERLINGÒ, *Diritto matrimoniale canonico*, Milano, 1989, 236.

At in doctrina processuali canonica «legitimatio processualis» indicat legitimatorem ad causam seu capacitatem ad proponendam determinandam actionem (conditio actionis seu praesuppositum litis), non autem legitimatorem ad processum seu capacitatem processualem (praesuppositum processus).

Hoc sensu memoratam expressionem: «legitimatio processualis» adhibent ex. gr.: R. FIGUEROA, *La «persona standi in iudicio» en la legislación Ecclesiastica*, Roma, 1971, 134-138; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore processuale*, 158-159.

³² Non videtur accurata locutio quam penes «il curatore processuale non è assegnato alla persona, ma alla causa...» - F. PUGLIESE, *In tema di difesa d'ufficio delle persone deboli di mente nelle cause matrimoniali ecclesiastiche*, in *Il Diritto Ecclesiastico*, 57 (1946) 241; AE. DEL CORPO, *De curatore*, 21.

Iamvero curator non agit nomine causae, sed nomine personae mente infirmae, quam repraesentat. Agit autem vel respondet in causa personae repraesentatae.

³³ Cfr. AE. DEL CORPO, *De curatore*, 21-22.

³⁴ Cfr. F. ROBERTI, *De Processibus*, 515; G. MICHIELS, *Principia generalia de personis*, 53.

Forsitan hoc sensu interdum affirmatur quod «finis essentialis constitutionis curatoris est tutela ac defensio iurium partis minus

Quamvis munus adsistentiae ex parte curatoris vel «consiliarii iudicialis»³⁵ propius sit legislationi civili quam canonicae, nihilo secius etiam in foro canonico, praeter essentielle momentum repraesentationis, quaedam adsistentia «technica» seu speciale auxilium interdum praestatur a curatore parti incapaci, verbi gratia, si ipse curator in iure canonico doctor vel alioquin vere peritus inveniatur (can. 1483) et proprio Marte suscipere intendat munus defendendi iura partis absolute vel relative incapacis³⁶. Etiam iudex ex officio id decernere potest, hoc est eandem personam constituendo curatorem et advocatum pro mente infirmo³⁷.

Quodsi curator parti in causa a se repraesentatae procuratorem et advocatum seligere malit, ut plerumque et ordinarie evenit, ipse mandatum procurato-

firmae mentis» - c. GIANNECCHINI, sent. 26 iunii 1984, n. 2; RRD vol. LXXVI, 402.

³⁵ C. LEFEBVRE, *Débilité mentale (le curateur et le conseil)*, in *Dictionnaire de Droit Canonique*, t. IV, Paris, 1949, coll. 1045: «Ainsi à l'époque actuelle, le droit civil reconnaît souvent un statut spécial aux faibles d'esprit: en France, ils sont pourvus d'un conseil judiciaire (art. 499), de même qu'en Belgique (*ibid.* ...).

Sed, ut supra dictum est (cfr. nt. 11), Cod. Civ. Gallicus non amplius agit «d'un conseil judiciaire», sed «de la curatelle» cfr. art. 508 ss.

³⁶ Ad quaestionem: «potestne curator partes procuratoris et advocati ipsemet agere pro parte quam repraesentat» - DEL CORPO ita respondet: «cum vero curator non sit dominus iuris controversi neque titularis relationis iuridicae processualis, non ita facile iudex, cuius est — ad mentem Codicis — de re iudicium, ipsum admittet ad munus procuratoris vel advocati explendum, nisi certo constet satis fieri posse legitimae iurium partis defensionis» (*De curatore pro mente infirmis*, 94-95).

³⁷ Ita ex gr. c. STANKIEWICZ, sent. 22 iulii 1988, in causa Portlanden. In Oregon. Cfr. etiam c. STANKIEWICZ, decr. 13 decembris 1990, n. 7; in *Quaderni Studio Rotale*, 6 (1991) 78.

rium et patrocinii electo patrono conferre debet, non vero persona incapax, quam ipse in iudicio repraesentat³⁸.

III. De mente infirmis quibus curator dari debet

Ratio deputandi curatorem pro mente infirmo, ut notum est, ex defectu capacitatis processualis seu legitimisationis ad processum mentis infirmitate laborantis pendet, ob quam ipse incapax habetur nomine proprio ponendi et suscipiendi actus processuales, qui sibi tamquam parti in causa competunt³⁹.

Haec autem legitimatio ad processum, quae reflexum processualem capacitatis agendi constituit, iuxta communem doctrinam canonicam magni differtum a capacitate partis⁴⁰, scilicet essendi subiectum

³⁸ Coram PALAZZINI, decr. 7 octobris 1970, in causa Asten., quod ad quaestionem: «An valeat mandatum procuratorium non a curatore, sed a conventa datum, in casu» - post incidentalem disceptationem per memoriale ita respondit: «Negative, seu mandatum a parte conventa datum non valere ad effectum, de quo agitur».

Cfr. etiam decis. S.T. Sign. Apost. d. 8 iulii 1970, n. 2; in *Periodica*, 61 (1972) 140.

³⁹ F. ROBERTI, *De Processibus*, 515; R. FIGUEROA, *La «Persona standi in iudicio»*, 118; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore processuale*, 156.

⁴⁰ Sed in doctrina processuali civili sunt qui putent distinctionem inter capacitatem partis et capacitatem processualem: «È frutto di un malinteso, perché, essendo la parte il soggetto concreto del processo, la capacità di essere parte non può non identificarsi con la capacità di stare in giudizio. La verità è che la c.d. capacità di essere parte non corrisponde, ma si identifica con la capacità di essere soggetto di diritto, e questo è un problema del tutto estraneo al diritto processuale. Il diritto processuale stabilisce soltanto le condizioni per cui il soggetto dell'interesse può agi-

relationis iuridicae processualis⁴¹, tum a legitimatione (processuali) ad causam, videlicet proponendi concretam actionem in iudicio (legitimatio activa) vel contradicendi ei (legitimatio passiva)⁴², tum demum a capacitate postulandi, quae capacitatem processualem supponit et consistit in facultate personaliter ponendi actus processuales⁴³.

re o contraddire in giudizio» - S. SATTA, *Diritto processuale civile*, Padova, 1981⁹, 93.

Quamvis in doctrina canonica capacitas partis vocetur «capacitas iuridica generalis processui applicata», merito tamen quis ostendit «capacitatem partis naturam habere omnino processualem» - F. ROBERTI, *De Processibus*, 512.

⁴¹ Cfr. R. FIGUEROA, *La «Persona standi in iudicio»*, 107.

⁴² Doctrina et iurisprudentia canonica generatim sequuntur receptam a ROBERTI e doctrina processuali civili notionem «legitimationis ad causam» (Sachlegitimation), quae dicitur «habilitas alicuius personae ad certam causam» (p. 588).

Attamen recentior doctrina processualis civilis, praesertim Germanica, quam sequitur saltem pars doctrinae canonicae, memoratam superius legitimationem ad causam, v. dictam «Sachlegitimation», consistentem in «die sachliche Begründetheit der Klage», iam proprie distinguit a legitimatione processuali seu ad determinatum processum «Prozessführungsbefugnis», quae constituit «Voraussetzung für die prozessuale Rollenfähigkeit und damit für die Zulässigkeit der Klage» - E. EICHMANN - K. MÖRSDORF, *Lehrbuch des Kirchenrechts*, vol. III, Paderborn, 1960¹, 89; E., KAMMERMEIER, *Der Begriff der legitima persona standi in iudicio im Codex Iuris Canonici*, in *Archiv f. kath. Kirchenrecht*, 127 (1965-1956) 309-312.

Cfr. etiam P. WIRTH, *Gerichtsverfassung und Gerichtsordnung*, in AA.Vv., *Handbuch des katholischen Kirchenrechts*, Regensburg, 1983, 972-973.

⁴³ F. ROBERTI, *De Processibus*, 510, 544: «capacitas ponendi per se legitima forma actus processuales.

Capacitas postulandi fieri potest tum immediata, quae consistit in facultate exercendi ius postulandi personaliter, tum mediata, quae, sua ex parte, distinguitur in liberam seu facultativam et in necessariam seu obligatoriam - ita J. LLOBELL, *Lo "Jus Postu-*

Statim tamen oritur quaestio, quaenam criteria incapacitatem processualem mente infirmi determinant, hoc est deficientem eum «(legitimam) personam standi in iudicio»⁴⁴, si Codicis locutione hac in re utimur (cann. 1505 § 1, § 2, n. 2; 1620, n. 5; cann. 1188 § 1, § 2, n. 2; 1303, n. 5 CCEO)⁴⁵, ut curator ei legitime dari possit.

landi" e i patroni, in AA.VV., *Il processo matrimoniale canonico*, Città del Vaticano, 1988, 186-189.

De capacitate postulandi sermo est in can. 1481 § 1 (can. 1139 § 1 CCEO).

⁴⁴ Locutio «legitima persona» pro capacitate standi in iudicio apparet iam in *Fragm. interp. Gai Inst. August. IV*, 89-90 (FIRA III, p. 224), deinde in constitutionibus imperialibus.

In Codice Iustiniani habemus iam titulum «Qui legitimam personam in iudiciis habent vel non» (C. 3, 6).

Deinceps haec locutio recepta est in collectionibus canonicis et efficaciter intravit in ius canonicum, adeo ut in Codice nunc vigenti adhuc perstet.

Quoad receptionem in ius canonicum huius locutionis cfr. R. FIGUEROA, *La «Persona standi in iudicio»*, 31 ss.

⁴⁵ Sicut in Codice a. 1917, ita et in Codice novo, aliae quoque adhibentur locutiones, sicut «agere et respondere» (cann. 1476; 1478 § 4; 1481 § 1; cann. 1134; 1136 § 4; 1139 § 1 CCEO), vel «stare (consistere) in iudicio» (cann. 1478 §§ 1-2, 4; 1480 §§ 1-2; cann. 1136, §§ 1-2; 4; 1138, §§ 1; 3 CCEO).

Quae locutiones, sicut et superius memorata «persona standi in iudicio», indicare possunt capacitatem processualem vel legitimationem processualem seu ad causam. Immo «agere et respondere» etiam capacitatem postulandi interdum indicat (cfr. can. 1481 § 1).

Inde «singulis in casibus inquirendum est de quanam ex duabus legitimationibus (i.e. ad causam vel ad processum) lex loquatur» - F. ROBERTI, *De Processibus*, 510.

Tempore praecedentis codificationis postulatum erat, ut in Codice a. 1917 secerneretur «capacitas standi in iudicio et potestas agendi», sed sine effectum - cfr. F. ROBERTI, *Schemata de Processibus* (Schema A, can. 138, n. 1, not. 6), 132.

Quoniam capacitas processualis requirit ut pars in causa una cum maturitate aetatis (cann. 98 § 1; 1478 § 1; cann. 910 § 1; 1136 § 1 CCEO) pariter maturitate ac sanitate «mentis» seu facultatum psychicarum polleat (cann. 99; 1478 § 1; cann. 909 § 3; 1136 § 1 CCEO)⁴⁶, quae eam idoneam reddant libere exercendi propria iura atque disponendi de eis in iudicio, criteria dimetiendi eiusdem capacitatis defectum directe vel saltem indirecte referuntur ad substratum psychopathologicum, quod necessariam aufert vim intellectivam et volitivam ad rectam cognitionem naturae et obiecti litis, ad sufficientem ponderationem propriae positionis in processu, praesertim vero ad providendum modo rationali suae defensionis⁴⁷.

Codex autem nunc vigens, eodem prorsus modo ac ille abrogatus, mente infirmos sub hoc adpectu in tres dividit classes, hoc est in eos qui destituti sunt usu rationis (can. 1478 § 1; can. 1136 § 1 CCEO), qui bonis interdicti sunt (can. 1478 § 4; can. 1136 § 4 CCEO), et qui minus firmae sunt mentis (can. 1478 § 4; can. 1136 § 4 CCEO).

Quamquam superius memoratae classes ad duas tantum reduci possunt, nempe ad rationis usu destitutos nec non ad minus firmae mentis⁴⁸, iisdem tamen omnibus unum est commune, hoc est pathologiae psychicae substratum, quod indicatae classes vario modo attingunt atque diverso gradu participant.

⁴⁶ Cfr. I. GORDON, *De iudiciis in genere*, I, *Introductio generalis. Pars statica*, Romae, 1979², 347.

⁴⁷ Cfr. F. INTRONA, *La capacità processuale*, in AA.Vv., *Psichiatria forense generale e penale*, Milano, 1990, 654.

⁴⁸ Cfr. AE. DEL CORPO, *De curatore pro mente infirmis*, 23.

Item art. 77 Instr. «Provida Mater» simili bipartitioni innuebat: «Si pars conventa rationis usu sit destituta vel minus firmae mentis, citatio tutori vel curatori denuncianda est».

1. *Usu rationis destituti*. Incapacitas processualis eorum, qui usu rationis destituti sunt (can. 1478 § 1), directe quidem criterio «usus rationis» determinatur, cuius defectus in eis quoad omnia extenditur, et quidem modo habituali⁴⁹, indirecte tamen gravitate pathologiae psychicae ponderatur, quocumque haec designetur nomine iuxta traditionalem vel modernam nosographiam, etsi conditio pathologica huius incapacitatis ordinarie ad perturbaciones mentales organicas vel psychoticas⁵⁰ se refert.

Rationis usu destituti, sicut doctrina et iurisprudentia canonica docent⁵¹, vi ipsius iuris naturalis legitimatione ad processum carent. Quare iidem in iudicio stare debent semper per curatorem legitime constitutum, cum absolute incapaces sint ad ponendum quemlibet actum iuridicum, ex quo nec actum iudiciale per se ipsi valide ponere queunt.

2. *Minus firmae mentis*. Aliter tamen dicendum

⁴⁹ Cfr. cann. 99, 1322 (delicti incapaces); can. 909 § 3 CCEO. Haec in re nil refert temporarius tantum defectus usus rationis.

⁵⁰ Cfr. G. PONTI - I. MERZAGORA, *La criteriologia nosografica in psichiatria forense*, in AA.VV., *Diagnosi psichiatrica e DSM-III-R. Aspetti clinici e prospettive medico-legali*, Milano, 1989, 189-213; L. ABBATE, *La nosografia psichiatrica: stato attuale e sviluppi futuri*, in AA.VV., *La psichiatria forense speciale*, Milano, 1990, 96-130.

⁵¹ Cfr. M. LEGA - V. BARTOCETTI, *Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, I, 305; F.X. WERNZ - P. VIDAL - F. CAPPELLO, *Ius Canonicum*, t. VI, *De Processibus*, Romae, 1949², 180; G. MICHIELS, *Principia generalia de personis*, 75; G.J. SESTO, *Guardians*, 46; AE. DEL CORPO, *De curatore*, G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore*, 163.

Quoad iurisprudentiam - cfr. c. ANNÉ, sent. 8 iunii 1963, n. 2; SRRD vol. LV, 434; c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 4; SRRD vol. LVI, 222.

est de iis, qui minus firmae mentis sunt (can. 1478 § 4), seu qui incompleto tantum rationis usu gaudent. Cum vero modo sufficiens iudicii discretio ad certos actus iuridicos valide ponendos iisdem desit, relativa tantum incapacitate standi in iudicio afficiuntur, quae, iuxta communem doctrinam et iurisprudentiam canonicam, ex iure positivo oritur⁵². Inde qui minus firmae sunt mentis in casibus iure statutis etiam per se ipsi in iudicio stare possunt, hoc est ut de propriis delictis respondeant⁵³, aut ad praescriptum iudicis; in ceteris autem stare in iudicio debent per suos curatores (can. 1478 § 4; can. 1136 § 4 CCEO).

Quoniam conceptus infirmitatis mentis, eoque magis minus firmae mentis in ambitu iuris canonici lato sensu accipitur, significationem «morbi» vel «infirmitatis» attribuendo, iuxta nosographiam traditionalem, etiam neurosi, deordinationi characteris vel immaturitati psycho-affectivae⁵⁴, incapacitas proces-

⁵² Cfr. G.J. SESTO, *Guardians*, 47; AE. DEL CORPO, *De curatore*, 25; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore*, 169; c. PINTO, sent. 12 dicembre 1980, n. 2; in MONITOR ECCLESIASTICUS, 107 (1982) 20; c. STANKIEWICZ, decr. 13 decembris 1990, n. 4, in QUADERNI STUDIO ROTALE, 6 (1991) 77.

⁵³ In iure poenali imperfectus rationis usus minuit tantum culpabilitatem (imputabilitatem) poenalem (can. 1324, n. 1), non vero eam excludit.

⁵⁴ U. FORNARI, *Psicopatologia e psichiatria forense*, Torino, 1989, 484: «Il concetto di infermità di mente è usato nel diritto canonico in modo quanto mai lato, certo molto di più di quanto non lo sia nell'ambito penale e civile. Accanto alle psicosi, organiche o endogene, si riconosce e si ammette "significato di malattia" anche alle nevrosi, ai disturbi del carattere, all'immaturità psico-affettiva...».

Notandum est etiam in ambitu iuris civilis conceptus infirmitatis mentis, sensu «morbi mentis» adhibitus, includit «tutti i disturbi dell'attività psichica, purché naturalmente di natura patologica o morbosa», excepto «le semplici anomalie di carattere quali

sualis eorum, qui minus firmæ mentis sunt, iuxta criterium discretionis iudicii aestimari solet⁵⁵.

Etsi omnes generatim conveniunt ad legitimam personam standi in iudicio requiri discretionem seu maturitatem iudicii causæ agenda proportionatam⁵⁶, magna tamen perstat disputatio quinam gradus discretionis iudicii requiratur ad agendas causas in iudicio ecclesiastico, præsertim vero illas matrimoniales.

Sunt enim qui putent ad standum in iudicio in causa nullitatis matrimonii eam saltem requiri discretionem iudicii, vel etiam maiorem⁵⁷, quæ necessaria

l'eccentricità, le bizzarrie, che possono essere compatibili con la regolare esecuzione dei propri interessi» - P. SARTESCHI, *La capacità civile*, in AA.VV., *La psichiatria forense in diritto civile*, Milano 1989, 11.

Itemque iuxta iurisprudentiam rotalem ad conceptum minus firmæ mentis «non requiritur certo infirmitas proprie dicta» - c. LEFEBVRE, sent. 12 januarii 1967, n. 3; SRRD vol. LIX, 3; c. DE LANVERSIN, sent. 1 martii 1983, n. 3; RRD vol. LXXV, 70.

⁵⁵ Incapacitas processualis interdum aestimatur etiam per determinationem gradus istius minus firmæ mentis - cfr. c. LEFEBVRE, sent. 12 januarii 1967, n. 3; SRRD vol. LIX, 3; c. DE LANVERSIN, sent. 1 martii 1983, n. 3; RRD vol. LXXV, 70.

De nullitate sententiæ in casu non adsignationis curatoris pro eo qui minus firmæ mentis habetur - cfr. F. LÓPEZ ZARZUELO, *La constitución de curador en favor del «minus firmæ mentis» antes y después de la promulgación del Código de Derecho Canónico de 1983*, in *Revista Española de Derecho Canónico*, 39 (1983) 308-316.

⁵⁶ Quoad iurisprudentiam cfr. c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 6; SRRD vol. LVI, 224; c. DE LANVERSIN, sent. 1 martii 1983, n. 3; RRD vol. LXXV, 70.

Quoad doctrinam cfr. G. MICHIELS, *Principia generalia de personis*, 86; J.J. GARCIA FAILDE, *Nuevo Derecho Procesal Canónico*, Salamanca, 1984, 37; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore*, 167.

⁵⁷ Ita c. BONET, sent. 11 decembris 1967, n. 2; SRRD vol. LIX, 841.

sit ad valide contrahendum (can. 1095, n. 2; can. 818, n. 2 CCEO), videlicet propter postulata necessitatem peculiaris aestimationis, quae adducto capiti nullitatis respondere debeat⁵⁸.

Alii, e contra, contrarium tenent, videlicet minorem iudicii discretionem requiri ad capacitatem standi in iudicio in causis matrimonialibus quam ad valide contrahendum matrimonium. Nam ad standum per se in iudicio, hoc est ad aestimandam propriam adhaerentiam vel oppositionem causae matrimoniali, sufficere putant etiam «minimum tantummodo discretionis et prudentiae gradum», scilicet «qualis et in deordinatis prorsus mentibus non raro invenitur: qualis, utcumque, praesumi debet, donec de contrario constet»⁵⁹.

Haec opinio, quam iurisprudencia iam praevalens sequitur⁶⁰, in praxi tenenda est, attenta differentia inter capacitatem ad matrimonium et illam ad agendum in iudicio, potissimum vero ratione habita consecuta-

⁵⁸ Ita c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 7; SRRD vol. LVI, 225.

⁵⁹ Ita c. MATTIOLI, sent. 7 octobris 1965, n. 2; SRRD vol. LVIII, 627.

⁶⁰ Cfr. c. FAGIOLO, sent. 14 maii 1971, n. 6; SRRD vol. LXIII, 410: «At assentire non censem argumentationi, quam prae laudati Patres in iure faciunt hac in re. Nobis enim verum non videtur “requiri maiorem discretionem seu maturitatem iudicii ad agendum in processu quam ad ipsum matrimonium contrahendum».

Cfr. etiam c. LEFEBVRE, sent. 12 januarii 1967, n. 3; SRRD vol. LIX, 3; c. BEJAN, sent. 25 januarii 1967, n. 9; SRRD vol. LIX, 41; c. PINTO, sent. 28 octobris 1976, n. 2; RRD vol. LXVIII, 384; c. STANKIEWICZ, sent. 16 decembris 1982, n. 3; in *Il Diritto di Famiglia e delle Persone*, 12 (1983) 543; c. GIANNECCHINI, sent. 26 iunii 1984, n. 5; RRD vol. LXXVI, 405; c. PINTO, sent. 22 novembris 1985, n. 8; RRD vol. LXXVII, 541.

rriorum utriusque incapacitatis tum sub adpectu substantiali cum etiam formali⁶¹.

Insuper lex ecclesialis etiam minoribus, qui aetatem quattuordecim annorum expleverint, in causis spiritualibus, ad quas haud dubie pertinent causae matrimoniales, capacitatem processualem agnoscit (can. 1478 § 3), etiamsi apud minores saltem viros adhuc sufficiens discretio ad valide contrahendum ratione aetatis non praesumitur (can. 1083 § 1)⁶².

Secus igitur ac defectus habitualis usus rationis, ex gravi pathologia seu infirmitate psychica exorients, in omni casu constitutionem curatoris pro talibus mente infirmis requirit, in iis tamen, qui minus firmae mentis sunt, perpendi debet gradus deficientis iudicii discretionis ad agendum in processu, ratione nempe habita severitatis deordinationis vel anomaliae psychicae, praepedientis⁶³, vel non, requisitam ad hunc finem iudicii discretionem. Idque recens praxis iudicialis confirmat, quia in causis nullitatis matrimonii, ex capite gravis defectus discretionis iudicii agitatis (can. 1095, n. 2), parti minus firmae mentis, seu aliqua deordinatione psychica laboranti, curator ad litem non semper addicitur. Non enim caput nullitatis inducit necessitatem constituendi curatorem ad litem, sed

⁶¹ Cfr. c. FAGIOLO, sent. 14 maii 1971, n. 7, 410.

⁶² Ita c. STANKIEWICZ, decr. 13 decembris 1990, n. 6, 78.

⁶³ Nec obstat formulatio art. 77 Instr. «Provida Mater», qui eodem modo statuebat de necessitate citationis «tutoris vel curatoris» in casu «si pars conventa rationis usu sit destituta, vel minus firmae mentis». Hi enim duo casus incapacitatis absolutae et relativae ad fines tantum praxim respicientes exaequati sunt, absque tamen eorum identificatione. Cfr. ad rem S. PUGLIESE, *La necessità del curatore canonico e dell'avvocato d'ufficio per le persone deboli di mente nelle cause matrimoniali ecclesiastiche*, in SALESIANUM, 6 (1944) 184.

infirmetas mentis, ob quam quis in iudicio iuribus suis cavere non valeat⁶⁴.

3. *Bonis interdicti*. Quamvis locutio «bonis interdicti» (can. 1478 § 4) in memoriam adducat ex iure romano interdictionem bonis erga prodigum decretam, ob quam eius bona curator debuit administrare⁶⁵, in iure canonico tamen indicat eos, qui a personali iurium suorum exercitio interdicuntur; vel potius, si modernam adhibeamus locutionem, in exercitio suorum iurium proteguntur. Quare iidem, sicuti et qui minus firmas mentis sunt, stare in iudicio per se ipsi possunt tantum ut de propriis delictis respondeant, vel ad praescriptum iudicis; in ceteris autem per suos curatores legitime constitutos agere et respondere debent (can. 1479 § 4).

Cum vero Codex nunc vigens, similiter ac ille abrogatus, de processu interdictionis canonicae mente infirmorum nil expresse caveat, neque hac in re canonizet legislationem civilem, sicut verbi gratia quoad constitutionem tutoris pro minoribus facit (can. 98 §

⁶⁴ Ita c. GIANNECCHINI, sent. 26 iunii 1984, n. 2; RRD vol. LXXVI, 401: «Curator non conceditur propter adductum caput nullitatis, sed propter partis infirmum statum mentis tempore processus. Accidere enim potest quod pars sufficientis rationis usu careat tempore celebrationis matrimonii, non vero tempore processus, uti, verbi gratia, quando morbus non est natura sua perpetuus et permanenter gravis aut quando rationis defectus causis contingentibus et transitoriis tribuendus sit».

⁶⁵ Cfr. D. 27,10,1 pr. (ULPIANUS lib. I ad Sab.): «Lege duodecim tabularum prodigo interdictur bonorum suorum administratio»; Ulp. 12,2: «Lex duodecim tabularum furiosum itemque prodigum, cui bonis interdictum est, in curatione iubet esse agnatorum».

Item D. 50, 17, 40 (POMPONII lib. XXXIV ad Sab.): «Furiosi vel eius, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est».

2; can. 910 § 2 CCEO), quaeri potest de quanam interdictione can. 1478 § 4 loquatur.

Sub Codice Pio-Benedictino idem statuente (can. 1650) quidam putabant interdictionem a iudice ecclesiastico esse decernendam, via iudiciali servata⁶⁶, dum alii rem ipsam ad legislationem civilem remittebant⁶⁷, arbitrati solum in defectu provisionis iudicis civilis quaestionem de incapacitate ad normam iuris canonici definiendam esse.

Sed interdictio canonica incapacis, si a nominatione curatoris seorsum⁶⁸ pronuntietur, ad huius designationem praesuppositum tantum necessarium constituit.

Ad interdictionem civilem⁶⁹ autem quod spectat, doctrina et iurisprudentia canonica sententiae civili interdictionem disponenti efficaciam ecclesiam in foro canonico minime tribuebant vel tribuunt⁷⁰, habita ratione sive autonomiae legislationis canonicae et

⁶⁶ M. CONTE A CORONATA, *Institutiones Iuris Canonici*, vol. III, *De Processibus*, Taurini-Romae, 1962⁵, 103.

⁶⁷ F. ROBERTI, *De Processibus*, 521; M. LEGA - V. BARTOCETTI, *Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, I, 309.

⁶⁸ Cfr. F. SALERNO, *Il procedimento canonico per la nomina del curatore dell'infermo di mente*, in *Il Diritto Ecclesiastico*, 76 (1965) II, 195-196.

⁶⁹ Uti notum est heic agitur de interdictione iudiciali ob habitalem mentis infirmitatem, quae distinguitur a legali interdictione in poenam accessariam statuta, quae tantum poenae gravissimae (v. gr. ergastulo) accedit - cfr. A. TORRENTE, *Manuale di diritto privato*, 79-81.

⁷⁰ Tempore recognitionis Codicis Pio-Benedictini posita erat haec quaestio: «Quaeritur an sententia civilis interdictionis vim habeat in foro canonico: P[acelli] et N[oval] affirmant; D[e] L[ay] suadet praemittendam esse recognitionem iudicis ecclesiastici» (Schema A, can. 138, n. 2) - F. ROBERTI, *C.I.C. Schemata*, 134, nt. 7.

competentiae iurisdictionalis, sive diversitatis muneris, quod curator processualis explet in foro civili et canonico⁷¹.

Alia ex parte interdictio civilis, vel iuxta tendentiam recentiore constitutio tutelae civilis, factum constituit certum ac determinatum, ex quo incapacitas processualis interdicti vel in tutelam traditi tuto praesumi potest. At non agitur de praesumptione iuris⁷², quia haec ab ipsa lege canonica non statuitur, sed tantum de praesumptione hominis (can. 1584; can. 1265 CCEO)⁷³, quam quidam «violentam» esse putant⁷⁴. Haec tamen praesumptio hominis, secus ac illa iuris, cum plenam probationem ordinarie non constituat⁷⁵, iudicem non liberat ab onere perpendendi facta, quae capacitatem processualem civiliter interdicti praepe-

⁷¹ A. TOSO, *De constitutione curatoris in foro ecclesiastico*, in *Jus Pontificium*, 29 (1939) 118; M. LEGA - V. BARTOCETTI, *Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, I, p. 309; F. SALERNO, *In tema di interdizione cautelare*, 206-207; A.E. DEL CORPO, *De curatore*, 19; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore*, 165; c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 8; SRRD vol. LVI, 229.

⁷² De praesumptione iuris egit verbi gratia P.A. D'AVACK, *Cause di nullità e di divorzio nel diritto matrimoniale canonico*, vol. I, Firenze, 1952, 190.

Sed idem Auctor sub v. *Curatela (dir. can.)*, p. 507 loquitur iam «di una mera presunzione semplice d'incapacità processuale dell'interdetto, cioè di una presunzione, la cui valutazione è sempre lasciata al prudente apprezzamento discrezionale del giudice ecclesiastico», seposita igitur opinione de praesumptione iuris et de iure vel iuris tantum (p. 506).

⁷³ A. VITALE, *In tema di rappresentanza degli incapaci nel diritto canonico*, in *Il Diritto Ecclesiastico*, 72 (1961) I, 475.

⁷⁴ F. SALERNO, *In tema di interdizione cautelare*, 207.

⁷⁵ Cfr. M. LEGA - V. BARTOCETTI, *Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, II, 820: «Verum si gravis sit vel vehemens (i.e. praesumptio hominis) probationem constituit plenam vel semiplenam, quae non destruitur, nisi contrariis adversarii allegationibus».

diant, antequam curatorem (tutorem) ab auctoritate civili constitutum in foro canonico admittet.

Iamvero legislationes civiles, quae institutum interdictionis adhuc admittunt, plerumque distinguunt interdictionem totalem ab illa partiali seu inhabilitatione⁷⁶, in diversa conditione mentis infirmitatis fundatas: primam in forma gravis infirmitatis habitualis, alteram vero in leviori quadam eius specie.

Etsi distinctio eiusmodi non videtur in iure canonico canonizata, prout quidam sub Codice Pio-Benedictino intenderint⁷⁷, nihilominus concreta provisio magistratus civilis interdictionem vel tutelam decernens, aut modo inhabilitationem vel curatelam, distinctam vel minus a tutela⁷⁸, a gravitate mentis infir-

⁷⁶ Etiam legislationes quae interdictionem incapacis ignorant, admittunt saltem distinctionem inter «disability» (incapacitas) «general» (minoris et mente infirmi) et «special» vel «particular» (ad peculiarem actum) - cfr. W.F. FRANK, *The General Principles of English Law*, London-Toronto-Wellington-Sydney, 1971, 63.

⁷⁷ Ita ex. gr. G. MICHIELS, *Principia generalia de personis*, 53: «Practica applicatio quoad interdictos habetur in can. 1648, quoad inhabilitatos vero in can. 1650 et 1651».

Item M. LEGA - V. BARTOCETTI, *Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, I, 308 de legitima persona standi in iudicio disceptans, titulum primum materiae ita inscribit: «De his qui bonis interdicti sunt aut inhabiles renunciuntur».

⁷⁸ Cfr. «Mental Health Act 1983»: «A guardianship application may be made in respect of patient on the grounds that:

a) he is suffering from mental disorder, being mental illness, severe mental impairment, psychopathic disorder or mental impairment and his mental disorder is of a nature or degree which warrants his reception into guardianship under this section; and

b) it is necessary in the interest of the welfare of the patient or for the protection of other persons that the patient should be so received» - *Butterworths Family Law Handbook* (Cons. Edit.) CH. M. LYON - A.P. LYON, London-Dublin-Edinburgh, 1991, 579, n. 7, 2 a-b.

mitatis pendens, in foro canonico semper attendenda est⁷⁹.

Sed hac in re, ubi legislatio civilis superius indicatam partitionem admittit, in foro canonico pariter distinguendum est inter interdictos vel in tutelam traditos a magistratu civili ob gravem mentis infirmitatem habitualement, et inhabilitatos tantum vel in curatela acceptatos ob leviolem infirmitatis formam⁸⁰.

Quoniam hoc sensu civiliter interdicti, vel tutela iudiciali protecti, rationis usu vel penitus carent vel partialiter tantum, aut saltem necessaria iudicii discre-

⁷⁹ F.M. CAPPELLO, *Summa Iuris Canonici*, vol. III, Romae, 1955⁴, 170.

⁸⁰ Legislationes civiles plerumque instant in habitualement mentis infirmitatem, quae subiectum reddat incapacem providendi propriis negotiis, pro interdictione (ex. gr. art. 489 Cod. Civ. Gall.; art. 414 Cod. Civ. Ital.), et in leviolem infirmitatis speciem pro inhabilitatione (ex. gr. art. 415 Cod. Civ. Ital.: «Il maggiore di età infermo di mente, lo stato del quale non è talmente grave da far luogo alla interdizione, può essere inabilitato»).

Sed eadem causae (morbis psychicus, oligophrenia, perturbationes psychicae) interdum indicantur pro interdictione totali, si subiectum reddant incapacem moderandi propriam agendi rationem (ex. gr. art. 13 § 1 Cod. Civ. Polon.), et partiali, quotiens conditio psychica infirmi non indiget interdictione totali, sed requirit tantum auxilium tertii pro negotiis gerendis (art. 16. § 1 Cod. Civ. Polon.).

Itemque eadem facti species, de qua agit art. 490 Cod. Civ. Gall., hoc est «Lorsque les facultés mentales sont altérées par une maladie, une infirmité ou un affaiblissement dû à l'âge», suppeditat fundamentum provisioni protectoriae «aux intérêts de la personne», a gravitate conditionis psychicae dependenti, videlicet per tutelam (art. 492 ss.) vel curatela (art. 508 ss.).

Notandum est quod curatela addictus inveniri potest in conditione psychica «sans être hors d'état d'agir lui même», sed quotiens «a besoin d'être conseillé ou contrôlé dans les actes de la vie civile» (art. 508).

tione ad agendum in iudicio, iidem in processu canonico per suos curatores a iudice ecclesiastico admissos vel designatos se sistere debent (cfr. can. 1478, § 1).

Qui vero civiliter tantum inhabilitati declarantur, vel protecti per curatelam, discretione iudicii ad agendum in processu canonico carere praesumuntur, perspecto potissimum substrato pathologico provisionis magistratus civilis. Inde et ipsi per curatores a iudice ecclesiastico admissos vel constitutos in iudicio stare debent, nisi iudex, perpensis personarum adiunctis, eos per se ipsos stare in iudicio posse iusserit (cfr. can. 1478 § 4).

Hac tamen in re «magna cautela opus est»⁸¹, potissimum ubi sententiae canonicae effectus civiles sortiuntur. Quare prudenter quis consulit admissionem vel constitutionem curatoris in casu interdictionis et inhabilitationis civilis, aut traditionis in tutelam vel curatelam, quia existentia eiusmodi provisionis magistratus civilis designationem curatoris in foro canonico iustificat. Si vero pars in causa constitutioni curatoris obstat, petere debet revocationem interdictionis vel inhabilitationis, aut additionis tutelae vel curatulae in foro civili⁸².

(continuabitur)

ANTONIUS STANKIEWICZ

⁸¹ F.X. WERNZ - P. VIDAL - F. CAPPELLO, *De Processibus*, 185.

⁸² G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore*, 165-166.